



No 369 - App XIV

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-PRACTICA  
SISTENS

THE R A P I A M  
T Y M P A N I T I D I S

---

Q V A M  
AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO  
FRID. CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE HVIVSQVE  
PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII AC ORPHA-  
NOTROPHEI HALENSIS MEDICO CONSTITVTO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
P R O G R A D V D O C T O R I S

SVMMSIQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

AD DIEM OCTOBR. MDCCLX.

BENEVULO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A V C T O R  
FRIDERICVS HEIGIVS

ZEVLENRODA - VARISCVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
L I T T E R I S H I L L I G E R I A N I S.

OPUS TERTIUM IN ANATOMIA MEDICO-PRACTICA

SYSTEMA

THEORIAM

ANATOMIAE

DE

ARTIBUS ANATOMIAE

CONSTITUTIONE

PRAELECTIO

QUI EXPLICIT ANATOMIAE PRAELECTIO ET DOCTRINA

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO

ANATOMIAE PRAELECTIO



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO - PRACTICA  
SISTENS  
THERAPIAM TYMPANITIDIS.

---

§. I.



Saepe mihi cogitanti, quodnam potissimum argumentum eligerem, tandem *therapiae tympanitidis* pertractandae occasionem mihi dedit theoretica de hoc morbo dissertatio a) non procul ab hinc tempore defensa. Quia enim in commemorato scripto theoria tympanitidis satis dilucide enucleata reperitur, veræ huic aetiologiae rationalem methodum medendi superstruere aequum ac utile mihi visum est. Hoc igitur meum institutum qualecunque Clementiae divinae deuote et Lectori beneuolo de meliori commendo.

A 2

§. II.

a) Dissert. sistens Theoriam tympanitidis, Praeside FRID. CHRIST. IVNCKERO, Respondente GOTTLÖB BERNHARDO TENDAL, ventilata Halae d. XXX. Maii MDCCLX.

## §. II.

Priusquam autem *Therapiam tympanitidis* explicandam suscipio, antea merito differendum erit, an et in quantum fonticum hoc malum medelam admittat, nec ne. Quod itaque ad huius morbi prognosin attinet, haud inficior illum per se valde periculosum et plerumque ancipitis esse euentus, quo saepius aegros mori, quam seruari videas; omnium maxime, si, quod crebrius contingit, cum hydrope ascite tumor tympaniticus coniunctus est. Omnes hinc, qui operam suam Medicinae exercendae vnquam locarunt, viro velut ore confitentur, hunc morbum maxime arduum curatu et difficillimum esse. PVERARIUS inquit: *se nullum vnquam tympaniticum conualescentem vidisse* b). Accedit eodem testis locupes, HOFFMANNVS, qui similiter scribit: *quando morbo chronico, vt hydropi, iungitur vel superuenit tympaniticus affectus, vix vllam admittit curationem.* Et statim post ita habet: *tympanites simplex, si inueterascit, nec cito curatur in foeminis et infantibus, in molestissimum chronicum malum transit et tandem ad interitum ducit* c). BERGERVS quoque ostendit, hunc morbum difficillimæ vt plurimum curationis esse, nec raro in passionem iliacam degenerare et ipsam subinde inopinatam mortem afferre. Cuius perdifficilis sanationis vix vlla mihi alia subesse videtur ratio, quam quod istius labis vel corruptionis, quae altissimis saepius radicibus in ventris visceribus defixa haeret, exstirpatio et delerio plerumque difficillima est, immo interdum impossibilis; restante vero et remanente causa, ipsum quoque eius effectum, qui ingens ista intesti-

norum

b) Addit. ad THOM. BURNETI Thesaur. medic. T. II. Libr. IIX. c) Medic. ration. System. Tom. IV. Part. IV. cap. XV. §. XXI.

norum laxitas est seu debilitas, foecundissima flatuum genitrix, esse superfuturum, quisque facile, vel me silente, vltro intelliget. Qui vero tympanias febres, inconsulta medendi ratione depravatas, aut consopitas duntaxat, exceperit, is interdum remediis, celeriter et in tempore adhibitis, cedere solet, quantumuis lentissime. Hoc assertum confirmat celeb. B. IVNCKERVS (Patronus optime de me meritis et dulcissimo Praeceptoris nomine etiam post fata, quoad vixero, semper deuote nominandus) dum inquit: *quando tympanites febris male tractatis succedit, nonnumquam admittit restitutionem, licet non adeo maturam* d). Neque adeo formidabilis est ille tympanites, qui a vermium colluione, in sentina intestinorum stabulante, ortum suum trahere fertur: dummodo hi hospites, anthelminticis medicinis enecti, e suo nido foras expellantur. Curationis quoque ille siccus hydrops aliquando patiens est, qui variolas et morbillos sequitur, si modo satis opportune conuenientibus remediis eis subuentum fuerit; nec non tympanias foeminarum, quae infaustis puerperii successibus obnoxiae fuerent, aut abortum passae sunt, interdum medelam concedit e). Idem morbus nonnumquam sanabilis est, si ab epoto aut comepto veneno suos duxerit natales, dum satis mature celeriterque hausto toxico eiusmodi medicamenta fuerint proposita, quae, virtute sua praesentissima, veneni vim et efficaciam, intestinis perniciosissimam, infringere et hebetare valent. Mitius hoc malum rei medicae scriptores censent, si solitarium est et flatus duntaxat in primis viis consistunt, quodque nullum chronicum morbum consequitur nec inue-

A 3

tera-

- d) In Conspect. med. theor. pract. Tabul. LXXXVIII. VII. lit. C. n. 7. e) NENTER in fundament. Medic. theor. pract. Tom. II. pag. 258.

teratum est: longe autem grauius et periculosius idem ducunt, si cum ascite coniunctum, inueteratum et grauibus ac funestis symptomatibus stipatum, iam pridem in corpore perstitit. Prout igitur symptomata haec caussaeque eius in peius seu deterius increbuerint, aegrum quoque modo citius, modo tardius post multos magnosque cruciatus, iugulabunt.

### §. III.

Exposita prognosi sine ambagibus me statim ad *Therapiam tympanitidis*, utpote in qua cardo dissertationis meae versatur, conuerto. Quemadmodum vero in quocunque morbo, rationi conuenienter curando, potissimum medendi momentum in eo nititur, ut caussas eius effectrices, si fieri potest, eradicemus et funditus tollamus: ita in hoc quoque morbo medicando Medenti nihil prius, nihil esse antiquius debet, quam ut eius causas magis propinquas et proximas, imo de stirpe decisas, auferat et aboleat; ut quibus sublatis, ipsos quoque earum effectus sua sponte cessaturos esse, cuius satis constat. Satis autem constat, malum hoc non in omnibus, qui eo tenentur et laborant, ex vna eademque causa ortum ducere, sed ex variis per saepe profluere fontibus, in diuersorum viscerum latebris occultatis et scaturientibus. Quos nisi in tempore funditus evertendos atque e corpore amouendos Medicus curauerit, totum eius huic morbo medendi negotium in irritum recidet. Illi profecto igitur nihil quicquam laude quadam dignum efficient, sed plus detrimenti potius aegroto inferent, qui hoc malum multifariis ita vulgo dictis carminatiuis, tum internis, tum externis, quae flatus discutere creduntur, et per saepe insigni calefaciendi efficacia praedita sunt, oppugnare et debellare fuerint adorti, nulla habita ratione istorum abdomi-



dominis viscerum, in quibus semina, vnde tympanites ortus est, potissime iacta haerent et occulta. Qua quidem ratione minime mirum est, si Medicus, huic morbo medicaturus, quum non ad ea ventris viscera respexerit, in quibus haud raro prima mali labes haeret f), ex qua tympanitica inflatio initium suum duxit; ignorata sic vera huius morbi causa, haud quaquam ipsi huic malo, sed eius potius symptomatibus, per saepe curationem adhibet.

## §. IV.

Quum itaque tam pluribus experientiae testimoniis constiterit, in plerisque tympania defunctorum cadaueribus, semper fere corporis viscera labe quapiam affecta aut corrupta fuisse inuenta, a quibus deinde mali vis, vel in tunicas intestinorum; vel in ventris cauum diffusa est et propagata; Medici idcirco congruenter rationi hanc affectionem curaturi est, ipsis hisce viscerum laesionibus conuenientia remedia, omnium primum, opponere; vtpote quibus tempestiue ablatis, si fieri potest, ipsi quoque indidem enati effectus, velut ipsa debilitas intestinorum paralytica, cum spasticis coarctationibus, in aliis eorundem locis, coniuncta; aut lymphae extrauasatio atque effusio in aqualiculum, multo facilius sanari poterunt. In hac igitur ventris inflatione curanda, originem si traxerit a visceribus sanguine praeter modum infarctis aut inundatis, ea auxilia adhibenda sunt, quae huiusmodi infarctus et stagnationes opportune expediunt. Cui vsui inseruiunt blanda medicamenta resolu-

uen-

f) Fateor me hanc primariam indicationem in curatione tympanitidis formandam, raro inculcatam legisse. Conferenda tamen sunt ea, quae recentiores practici e. gr. BOERHAAVE, STAHLIUS, SYDENHAM, van SWIETEN in genere de labe viscerum restituenda docent.

uentia, incidentia, aperientia, discutientia; quorum numero potissimum habenda sunt salia media et digestiua cuncta, tum sicca, tum liquida specie aegris propinanda. Gummata similis efficaciae, velut ammoniacum, sagapen. galban. iuniper. cetera. E regno autem vegetabili huc in vsum vocanda sunt, quae itidem virtute stagnationes et infarctus viscerum tollendi, viscidos autem humores attenuandi et colliquandi pollent, cuius generis sunt omnes fere radices et herbae resoluentes ac diureticae, velut vincetoxic. cichor. gramin. taraxac. helen. pimpinell. alb. brusc. foenicul. eryng. ononid. irid. nostrat. ari, bryon. scillae, cetera. Item herbae chamaedr. organ. feseleos, trifol. fibrin. hyssop. capill. veneris, herbae ita dictae antiscorbuticae, vt cochlear. nasturt. aliaeque plures huius generis ex quibus varia infusa, tum aquosa, tum vinosa, quin etiam extracta concinnari possunt.

## §. V.

Deinde, si flatus in intestinis inclusi teneantur, Medico id agendum est, vt eorum vis et impetus in tunicas intestinorum infringatur et cohibeatur, iisdemque exitus per inferiora comparetur. At enim vero hoc artis opus est: si quidem robur eorum naturale seu peristalsis natia, vt plurimum vsque adeo in nonnullis partibus seu segmentis labefactata est et eneruata, vt aërem, immodice rarefactum expansumque, in arctum cogere et propulsare non valeant, nisi illis subsidio veniatur, et maior vis ac potentia flatus ex suis claustris amouendi, et deorsum foras extrudendi, suggeratur. Cui autem exsequendo et obtinendo nihil, praeterquam medicamenta roborantia et carminatiua blandiora, quae duntaxat moderate intestina stimulant, sicque motum, quo deficiuntur, ipsis reuocant, conuenientius esse et praestant-

stant.

stantius obseruatur. Quo nomine, praeter ante recensita vegetabilia, huiusmodi tympaniticis etiam ea conducunt, quae intestina vellicando et irritando in sui contractionem concitant, quo in censu potissime referenda sunt centaurium minus, card. bened. gentian. rubr. origan. abrotan. meliss. menth. ruta, chamaemel.; femina anisi, carui, cumini, anethi, dauci; cort. citri, aurant, chaccarill; baccae lauri, iuniper: cetera, quae in infusis, decoctis, extractis, elixiriis, essentiis aliisque formis adhibita, saepius efficiunt quod operae est pretium. Calidiora ex hisce nominatis carminatiuis prouide g) sunt praescribenda, alias plus nocent quam adiuuant. Huc quoque referunt remedia, eaque acriora, quae aluum subducunt, cuiusmodi esse celebrantur cucum. agrest. cort. internus sambuci, herba foldanell. scamon. rad. ebuli, multaue eiusdem fortis alia, quae tamen omnia ea semper cautione offerre conuenit, vt eorum vsus ad aegrotantis vires, temperamentum, personalem sensibilitatem et ipsius mali conditionem ac magnitudinem exigatur, ne, aegrotum suis cruciatibus et doloribus leuaturi, et morbo suo periculofo liberaturi, eum in maiora pericula detrudamus. Tutius ergo cautiusque illi mihi videntur acturi, qui huiusmodi aegris leniora laxantia, e radice ialappae et merc. dulci concinnata; vel pilulas BECCHERI aut STAHLII, quae sane egregiae sunt efficacitatis, praescribunt sumenda. Quod si enim vlla remedia sint, quae aluum blande subducunt, et debilitatis intestinis robur simul conciliant, certae sunt hae pilulae, dictis resoluentibus et carminatiuis, singulo triduo elapso, interponendae. Ipsa etiam rhabarbarina et salia media amara purgantia, vt Sedlicense vel Ebshamense aliaque

B

lenio-

g) Conf. IO. AVG. IUNCKER in diss. de cauto et sollicito Carminatiuorum vsu. Halae M D CC LIII.

leniora laxantia, eiusmodi validioribus purgantibus longe sunt praeferenda.

## §. VI.

Sin vero hydrops ascites tympanitae comes haereat, quemadmodum plerumque esse animaduertitur, utique paulo acriora danda sunt purgantia h), quae feri colluuiem vna cum flatibus aluo foras exterminant, dummodo semper virium ratio hoc in morbo ducta fuerit: quod crebrior purgantium vehementiorum, in hoc morbo, vsus aegris magnam affert virium iacturam, quibus perditis, de vita plerumque actum est. Commendamus in hac complicatione tympanitidis cum ascite *puluerem hydragogum* STAHLII i), qui ad octo grana quotidie propinatus, satis blande evacuat et tumores saepius profligat, euidente testimonio, quod vehemens per aluum euacuatio negotium medelae non semper exhauriat. Robustioribus autem scopo euacuante exhibendus erit *Sirupus* sequens: Recipe extracti elaterii nigri rite ppti k) grana decem et quinq̄ue, sirup. de spin. cervin. cichor. cum rhabarb. ana vnciam dimidiam, aquam Cinnam. s. vino drachmas sex. Misceantur pro dosi: Sequentibus diebus quinque granis elaterii ascendendum est.

## §. VII.

Magnam quoque ad tympanitem profligandum clysteres, ex speciebus roborantibus et carminatiuis parati, conferunt vtilitatem, dummodo saepius iniiciantur: vix enim quicquam leuamenti clysteres afferant, si duntaxat semel atque

h) E. IVNCKERVS l. c. pag. 716. n. 3. i) Hic puluis etiamnum tamquam arcanum celatur, in dissertatione autem de hydrope pag. 32. et 33. illius mentionem fecit Illustris STAHLIUS, eumque valdopere laudauit. k) Confer. SCHVLTZII diff. de elaterio. Altorfi MDCCXXII.

atque iterum sedi fuerint immissi. Commodum igitur ex usu enematum in hoc malo capturi, iisdem frequentius saepiusque utantur: conficienda vero sunt haec clysmata ex roborantibus et carminatiuis remediis, quibus semper acria, quae nimis laxatis intestinis stimulum admouere valent, sunt admiscenda. Quod si enim aluum clysmatis emollientibus curaueris subluendam, plus damni, quam emolumenti, aegro attuleris; ut quae intestina, iam praeter modum debilitata, laxitate maiore augent.

## §. VIII.

Nec ea medicamina in hoc morbo curando, si praesertim cum hydrope ascite est copulatus, Medenti negligenda sunt, quae feri acris in corpore prouentum impediunt, illudque diuresi perinde ac diaphoresi, indidem foras eliminant. Verum et hic nunquam non delectus remediorum talium habendus est, ne oleum camino addatur; sed eiusmodi duntaxat adhibeantur, quae blande leniterque sudorem, sine excalescentia, mouent atque urinam, absque acuto stimulo, inuitant. Merito itaque reiicienda sunt cuncta alexipharmaca calefacientia, velut variae essentiae bezoardicae, quae in officinis prostant, nec non diureticae fortiores: cuiusmodi sunt, quae ex iunipero, myrrha, lignis guaiac. sassafras, cantharidibus, cetera, parari solent. Eadem quoque sorte censenda sunt vniuersa olea aetherea, ut therebinth. succin. pini, iuniper. ut et alia olea, quae flatibus expellendis alias commendantur, velut anisi, carui, cumini aliaque: quippe quae, in sanguinis massam delata, vasorum tunicas vehementissime stimulando, sanguinea fluida in citiorem motum orbicum agitant, iis nimium aestum et feruorem inducendo, vnde abdominis tumor in maius augetur. Laudantur autem hoc respectu merito Essent. pimp.

alb. ari. vincetoxic. scordii et composita alexipharmaca STAHLII, succus raphani expressus cum saccharo crySTALLIFATO edulcoratus et lixiuim a SYDENHAMO 1) commendatum.

§. IX.

Tum demum quoque medicamenta adhibeantur tonica seu moderate adstringentia, primariis et praecipuis mali tympanitici causis antecedentibus iam perdomitis et sublatis, ipsoque morbo decrefcente inque melius mutari coepto, qualia sunt complura ex marte parata, velut variae tincturae martis, vt et croci martis species, quae, dummodo satis tenerae et subtiles, cum salibus, praesertim mediis iunctae; nec non salia volatilia cum alcalicis fixis remixta, vt tinctura tonico-neruina STAHLII est, satis efficaciter roborant, viresque amissas laxatis intestinis reconciliant.

§. X.

Haftenus proditum satis esse mihi videtur, qua methodo tympanitae mederi conueniat, si initium suum ex viscerum vitio seu laesione duxerit, quaque ratione prima mali huius labes, in iis defixa et occultata, semper omnium primum aggredienda, et, quoad eius fieri potest, indidem sit submouenda; nisi enim ipsam huius morbi scaturiginem, vnde is, tum in alimentorum canalem, tum in ventris latebras diffunditur, quam primum deleueris; sed eam in ventris visceribus remanere et persistere commiseris, omnis medicatio inanis atque irrita futura est. Quod si igitur tympanites febres consequatur diuturnas, cuiusmodi sunt intermittentes, quartanae, tertianae, et quotidianae, tum simplices, tum duplices, tum continuae, quarum effectrices in aliquo viscerum abdominis, per venam portae inter se coniunctorum, aut in primis viis solenniter fuen-

1) in Tractatu de Podagra et Hydrope pag. 82.

uentur, vel Medentium vel aegrorum culpa fuerint suppressae, Medico omnium maxime in eam curam cogitationemque incumbendum est, vt quamprimum eiusmodi soporatas febres, per lenia quidem, sed tamen efficacia medicamina, aluum purgantia, resuscitet: id quod aliquando, iusto pilularum Becherianar. aut Stahlianar. vsu, expeditissime obtinetur; quibus resurgentibus, cuncta symptomata, ex harum febrium inhibitione enata, plerumque citius mitescere solent. Febris autem ipsa reuersa deinde accommodatis ei et conuenientibus remediis excipienda est. Neque dubium est, quin ipsa inflatio tympanitica abdominis facile fit abitura, modo salutaribus ac praesentibus remediis ei in tempore subueniatur.

## §. XI.

Sin vero idem hydrops siccus natales suos ab haemorrhoidum inhibito, interturbato, aut aliter prorsus vtcumque suppresso fluxu, qui vt plurimum infirmam et male affectam viscerum, inprimis hypochondriacorum, constitutionem arguit, duxerit, eius instauratio primo quoque tempore tentanda est: haemorrhoidibus quippe redeuntibus, atque ex voto huiusmodi aegrotis rursus succedentibus, dummodo id satis mature, nec dum malo hoc iam adulto et inueterato contigerit, spes omnino tympanitae curandi, modo Medicus rectam medendi viam fuerit ingressus, saepe super est. Idem quoque hoc de foeminis, tympanite ex mensium suppressione, aut nimia imminutione correptis, velim intellectum, quippe cuius morbi medicandi et sanandi nulla vnquam spes relinquatur, nisi in tempore eis succurras, menstruam earum purgationem, quam citissime fieri potest, reuocando, ac deinde conuenientibus medicinis adhibitis, in iustum naturae ordinem redigendo. Menstruo

enim earum sanguine remanente, nec satis opportune reuertente, neque debita et iusta copia vteri vasis per huius finum exundante; non sane vllam tympanitidis in eiusmodi mulieribus, curationem vnquam exspectare tibi licet.

## §. XII.

Ea quoque tympanitici morbi species omnem medellam itendidem eludit, quae a potu frigido, corpore obcalescente ac sudore copioso manente, affatim hausto interdum oritur, nisi statim, simul, atque id eiusmodi mortalibus obtigerit, atque in tempore, cruorem vtrunque coagulatum, inque vasis ventriculi et hepatis, anteriori seu minori suo lobo ei incumbentis, haerentem seu stagnantem, resolueris et in motum profluum redegeris. Id quod, qua via, quibus praesidiis efficiatur? illud hoc loco ostendere, neque nostra interest, neque ad nos pertinet.

## §. XIII.

Ex quibus haecenus in medium prolatis, haud sane obscure apparituum esse existimem, quantum interfit, vt Medicus, huic morbo medicatum iturus, eius femina, in abdominis visceribus vt plurimum iacta et alte defixa, respiciat, ea indidem, quoad id fieri potest, quam citissime tollendo et amouendo: nisi enim in tempore huius mali causas praecideris, sed exspectaueris, dum altas egerit radices et maiora ceperit incrementa, in illud conueniet, quod Ouidius cecinit:

Sero Medicina paratur,

cum mala per longas inualuere moras.

Interim vero quantumuis hic morbus, per se periculosissimus, communi omnium medicorum consensu, nullo fere non tempore, tristissimi et funestissimi esse euentus deprehendatur, nonnulla tamen, nec ea quidem adeo pauca, exstant



stant exempla hoc malo affectorum, qui pristinae sanitati sunt restituti.

## §. XIV.

Neque eorum remediorum de industria heic memi-  
nero, quae ad hoc malum eradicandum a multis Medentium  
magnis laudibus extolli subinde videas: cuiusmodi est vi-  
num illud purgans Epiphanii Ferdinandi, quod aliquando  
in hoc morbo mira praestitisse, et non magnam solum flatu-  
um copiam ano expulisse, sed vna etiam plurimum aquae  
per aluum exterminasse, celebratur; quod alii contra dubi-  
tant, an vinum illud promissis aequae respondeat. Caetera  
quae tympaniticis saepe salutis fuisse praedicantur, quum eo-  
rum longe plura in Practicorum monumentis occurrant,  
quam vt cuncta angustis hisce, plagulis complecti queamus,  
itidem consulto praetermiserim: quoniam frequenter ambi-  
gui effectus, in hoc morbo curando, esse, aliis Medicis ite-  
dem notata sunt.

## §. XV.

Aliqui Medentium tympanitae sanando aliis, vel opti-  
mis quibusque remediis in cassum adhibitis et nihil profici-  
entibus, commendant ventris compunctionem siue punctu-  
ram, si quidem flatus ventris cauo comprehendantur. Nec  
vero acupuncturam intestinorum reformidandam esse, vbi  
flatus intestinorum volumina obsident, contendunt: quia  
Iapones, referente BONTIO m) non minus in colica flatu-  
lenta, quam tympanite, hac chirurgia flatibus exitum pro-  
curant. Verum enim vero tametsi haud quidem abnuero,  
istam puncturam tympaniticis aliquid leuaminis afferre posse;  
dum,

m) de Medic. Indor. et Wilhelm ten Rhyne Mantiss. Schemat.  
de Acupunct.

dum, per eiusmodi compunctiones, flatibus inclusis paululum viae indidem paulatim erependi seu exeundi datur; non tamen ipsum fontem et caput huius morbi attingit; et quia causæ eius huiusmodi punctiõibus non auferuntur, sed remanent; non potest fieri, quin semper denuo tot flatibus in intestinis, aut ventris capacitate resurgant, qui tunc indidem per inflicta vulnuscule exhalant; quam ob causam quoque iam SCHRÖCKIUS n) istam puncturam improbat. BOERHAAVIUS o) quoque Auctor est, eandem solatio quidem, minime autem sanationi, sufficere.

§. XVI.

Commemoranda etiam sunt *symptomata*, quae tympanitae accedere solent, et quibus quandoque peculiariter est subueniendum; sequentia nimiram obseruantur. 1) *Tussis sicca*, quae quatenus moderate succedit, eatenus tamquam medicina discussoria consideranda erit ac toleranda; quando autem iustum moderamen excedit, et praesertim versus noctem magnopere vexat atque fatigat aegrotum, optime compefcitur per opiata secura, minima dosi, antispasmodicis admiscenda ac vespertino tempore exhibenda. 2) *Alui obstructio* quam maxime euitanda erit, haec enim integrum morbi schema multo grauius reddit; quare eiusmodi obstructioni mature et celeriter per congrua laxantia, similesque clysteres subueniendum est. 3) *Diarrhoea* tympanitidi superueniens, si non nimis larga est, damnari nequit, quamquam illa causam morbificam tollere non valet; quando vero excedit, potissimum essentia cascarillae concentrata cohibetur. In statu vero complicato, vbi ascites simul conspirat, diarrhoea utilis habetur; interim semper in modera-  
mine

n) Ephem. German. Dec. II. Anno VI. o) Aphorism. de cognoscendis et curandis morbis §. 1251.

mine seruanda erit, ne vires subito et penitus consumantur.

4) *Vrinae deficiens excretio* quandoquidem statim in initio tympanitidis obuenit, licet abdomen nondum notabiliter extensum videatur, saepius vero tunc magis cognoscitur, quando abdomen magis distenditur. Ad hanc vrinae excretionem promouendam conducit serum lactis cum tartaro solubili parandum, nec non spiritus nitri sufficienter dulcificatus: alii eum in finem decoctum rad. pareirae brauae cum sale fraxini laudant. Extus quoque emulsio quaedam hypnotica regioni hypogastricae circumligari poterit.

5) *Dolores tensiui abdominis et lumborum* magnas omnino creant molestias, inquietudinem, anxietates et vigilias, vnde vires multum destruuntur. Ad illorum itaque mitigationem conducunt pulueres ex diaphoreticis fixis et antispasmodicis praecipue nitrosis et cinnabarinis compositi. Spectant huc quoque essentiae cortic. citri, aurant. gentian. rubr. carminatiu. WEDELII et complures eiusdem generis aliae, quae cum spiritu nitri dulcificat: commixtae et propinatae eiusdem discutientis et temperantis sunt efficacitatis. Ex vsu quoque his aegris esse obseruantur topica abdomini illinienda, variaque forma, fotuum, cataplasmatum aut sacculorum modo, admota, ex flatus discutientibus, roborantibus et temperantibus parata, prout causae morbificae natura id exposcerit, quae omnia speciatim hoc loco exponere, non fert propositum meum.

6) *Respiratio difficilis* saepius ita increfcit, vt inde maximum suffocationis periculum imminet. Fatendum vero est, hancce respirationis difficultatem, sicut morbo ingrauescente exoritur, ac notabiliter increfcit, sublato esse difficillimam imo plane impossibilem; quia enim ab aucta abdominis extensione dependet, facile licet concludere, illam tolli non posse, nisi imminuatur ex-

C

ten-

tensio, interim tamen melius est in necessitatis casu aliqualem ferre opem, quam aegrotum in hisce angustiis relinquere: hinc decet Medicum succurrere medicamentis leuamen adferentibus, licet illud sit exiguae ac breuioris durationis. Saepius in hoc summo discrimine rerum notabile et admirabile leuamen *Essentia dulcis Halensis concentrata* adtulit, quando illa ad viginti guttulas propinatur.

§. XVII.

Necessario etiam in curatione tympanitidis eo respiciendum est, vt accessum motuum febrilium quam maxime auertamus. In initio quidem hae commotiones febriles rarissime obseruantur, in progressu autem plerumque accedunt, ac tandem in schema febris lentae transeunt. Ad hunc infelicem febris accessum euitandum, inprimis congrua venaesectione opus est, vt plethoram imminuamus, ideoque orgasticae commotioni obuiam statim eamus. Quamquam enim satis cognitum sit, nullam tympanitidem, nisi ex haemorrhagiis suppressis natam, sanguinis missionem requirere; tamen in subiectis plethoricis, vbi vires adhuc integrae existunt, praesentanea venaesectione quam maxime suadenda est, si enim ope illius febris euitatur, multum sane obtinetur, quia motus febriles multo magis et continuo vices consumunt quam vnica venaesectione subtrahere potest. Venaesectioni statim adiungantur temperantia, vt tranquillitas motus circulatorii omni modo conseruetur. Quod si vero nihilominus febris ageret radices et successiue maius sumeret incrementum, primaria ad istam dirigenda erit curatione, ita vt tempore antemeridiano detur essentia alexipharmaca temperata, tempore vero pomeridiano exhibeantur pulueres temperantes ex nitro, absorbente, sale digestiuo et antimonio diaphoretico compositi. Ad calorem febrilem  
tem-

temperandum et infringendum conducunt syrup. rub. idaei, acetositat. citri, papau. errat. aliaque eiusdem indolis, gelatina ex Cornu cerui parata ac succo citri parum acidulata, per vices cochleatim interposita. Si vero vires magis consumtae sunt, prae ceteris conueniunt analeptica, mucilaginosae et gelatinosae.

## §. XVIII.

Quemadmodum vero generalis medicorum regula audit, vt in curandis morbis omnium circumstantiarum rationem habeamus, dum minima illarum quandoquidem totam curationem mutat, ita etiam haec in tympanitidis curatione obseruanda erit. Longe, e. gr. aliter medicandus erit tympaniticus, qui alias est cholericus, quam si forsan esset phlegmaticus aut melancholicus. Sicut enim priori casu calida medicamenta infallibiliter nocebunt, ita modice refrigerantia ac blande acida cum aliis congruis mista proderunt; in posteriori vero casu contraria fere locum habebunt. Ex his itaque patet, quod pro circumstantiarum ratione in eligendis medicamentis haud minor adhibenda sit prudentia, vt talia semper ex medicamentorum farragine iudiciose recipiantur remedia, quae indiuiduorum specialissimis conditionibus accommodata sunt.

## §. XIX.

Denique ne taciti praeteriisse videamur, quae praetermitti non oportuit, breui duntaxat victus rationem seu dietam, quae tympaniticis obseruanda est, hoc loco subiungere conuenit. Interdicantur igitur tympanitica omnibus, quae flatuum prouentum facere solent, cuius sunt census vniuersa alimenta flatulenta, vt olera, legumina, fructus horraei, dulcia et farinacea; vt et omnia potulenta fermentantia, quae plurimo aëre scatent, ideoque etiam magnam flatuum

vim intestinis inferunt. Commendentur eidem potius cuncta, quorum expedita est et facilis concoctio, quaeque vix vtillos flatus progenerant; cuiusmodi sunt omnia farinacea bene fermentata, aliquibus feminibus carminatiuis permordice condita et apparata, carnes iuniorum animalium, recens mactatorum, ex quibus varia iura, cum addito paulillo cuiusdem carminatiui parari possunt. Caueant sibi quoque eiusmodi aegroti ab omnibus cibis, concoctu difficilibus, et ventriculo multum negotii facientibus, velut a carnibus sale conditis, aut fumo induratis, piscibus cum recentibus tum infumatis, caseo, aliisque huius generis. Potus ordinarius esto decoctum radicis verbasci et scorzonerae cum passulis, vel decoctum radicis chinae et sassaparillae cum passulis, vel serum lactis caprilli simplex, aut pro cacochymicis cum succis cochleariae et beccabungae, vel pro cholericis cum succis acetosae, citri, cichorei alteratum et magis adpropriatum. Cereuisiae, quas bibit, sint tenues, probe fermentatae et defaecatae, nec nimium recentes. Vinum modice hauriendum, praecipue adsuetis, concedi potest, videlicet Hungaricum et Alicantinum, nisi febris illorum usum reddat suspectum, vel Mosellanum, quod satis est temperatum. Deuitent omnes animi impetus et commotiones quam sollicitissime: iisdem enim succi totius corporis ad debitam circulationem magis inepti redduntur, et stagnando acriores fiunt. Placidum ac moderatum corporis motum, quo nihil fere praesentius est atque efficacius ad flatus ex intestinis exturbandos, et ad amissum tonum ac robur his restituendum, sibi omnium maxime habeant commendatum. Equitationem inprimis his aegrotis ordinandam esse, existimat NENTERVS p), *equitatio*, inquit, a Sydenhamo in *phthisi*

p) In fundam. Medic. theoret. pract. Tab. XCV. Tom. III. pag. 263.

*phtisi et hectica laudata, imprimis et hic locum habet, ordinando aegrotis aliquantum aliquid orthostadici; nulla enim fere re tonus viscerum abdominis, certius restituitur, quam hoc exercitio sensim instituto et diutius continuato. Neque vero ingestorum tantum et animi affectionum, sed et ambientis frigoris par est vis et efficacia ad hoc malum ut excitandum, ita quoque alendum atque exasperandum; id quod proinde eiusmodi aegris diligenter fugiendum est; contra vero corpus blando et temperato calore, eoque perpetuo, fouendum, ut leni et constanti semper sudore immadefcat, sanguinisque quasi inundatio et eluuius in abdominis viscera, indidem hac via in alium cursum deflectatur, et in corporis exteriora deriuetur. Sed temporis angustia imperat, ut velorum sermone contrahendorum memor sim, et ex hoc vasto differendi pelago, me recipiam.*

## TANTVM.



C 3

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

# DNO. CANDIDATO

OMNIGENAM OPTAT FELICITATEM

P R A E S E S.

**S**icuti in omnibus scientiis, ita in Medicina etiam, pars practica pro principali merito habetur: omnem enim theoriam propter finem practicum potissimum formandam esse, nemo non concedet. Quisque nimirum qui se rationalis Medici nomine dignum reddere cupit, ad clinicam praxin accedens, in hoc quam maxime occupatus esse debet, vt originem morborum probe inquirat, causas sollicitè indaget, symptomata rectè examinet, iuuantia ac nocentia exactè distinguet ac ita adaequata propinare valeat remedia, quae illam praestant medelam, quam optamus. Haec omnia BAGLIVIVS omnibus practicis diligenter obseruanda inculcat et adeo commendat, vt sine illis praxin haud feliciter exerceri posse iudicet. Dum vero praeunte hac cynosura medicinam facimus, longissime sane recedimus ab illis, qui nomine alicuius morbi vix



bi vix audito, sine vltiore disquisitione, statim sua  
arcana polychresta ordinare solent. Laudanda igitur  
venit dissertatio haec TVA, PRAENOBILISSIME DO-  
MINE CANDIDATE, qua therapiam tympanitidis  
fatis docte ventilasti et plures veritates practicas ratio-  
nibus et experientia demonstraasti. Cognoui iam diu  
TVORVM studiorum scopum, TIBI nihil magis curae  
cordique fuisse, quam peruenire ad habitum practi-  
cum cum recta ratione effectiuum. Non solum enim  
in Collegiis tam priuatis, quam priuatissimis medicas  
scientias imbibere per quam diligenter allaborasti, ve-  
rum etiam omnem occasionem aegrotantium lectos  
et strata accedendi auide accepisti, eorumque curatio-  
nem omni fidelitate et dexteritate administraasti; si  
vero TIBI adhuc super erat dubium, interrogando  
desiderabas vltiorem rerum propositarum explicatio-  
nem, vt hac ratione maiorem TIBI conciliares certitu-  
dinem rerum in Praxi agendaum. Gratulor hinc  
TIBI et mihi, quod TE tamquam Medicum omni nu-  
mero absolutum dimittere possim. Et quum praeter-  
ea laudatissimam apud nos egesti vitam, ac morum  
TVORVM probitatem semper demonstraasti, omnino  
mereris, vt omnes boni TE habeant de meliori com-  
mendatum. Perge sicuti hucusque fecisti, sic felicem  
vitam ages, quam ex sincero animo TIBI adprecor.  
Dabam Halae d. XXVI. Octobr. M D CC LX.


HONO-

HONORATISSIMO ATQVE CLARISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. IOANNES SIEGISMVNDVS SICHELING.

**N**on definit quis esse medicus, etiam si non curetur aegrotus. Verum quod sit hocce prouerbium, quisque salutari scientiae etiam non incumbens inficias ire non poterit, si nimirum per medicum intelligimus subiectum, quod per assiduam suam industriam omnia ea sibi comparauit requisita, quibus sanitas mortalium praesens conseruari, amissa contra recuperari potest, alias enim medici nomen non meretur. Mei quidem non erit, hisce lineis fusius ostendere, cur saepius etiam peritissimo medico in sanandis aegris non omnia ex voto fluant, cuius causa saepissime in ipsius morbi constitutione quaerenda est, quare quendam sanabilem, alium contra plane insanabilem inuenimus. Felicem sane illum declaramus medicum, qui et hac in re bene distinguere potest. TV CANDIDATE DOCTISSIME in dissertatione TVA de tympanitide cuique ostendisti non semper medici potestati datum esse, morbum plane eradicare. Sed sufficiat de hoc, et multa de TVA in re medica dexteritate praedicabilia enarrare deberem, sed vela contraho, TIBIQUE vota haecce consecro, vt semper ex animi TVI sententia viuas, resque TVAS feliciter agas: super est tantum, vt, quod summopere in optatis habeo, expleas, meique semper amicam serues recordationem. Vale.



Miscell. med. 98

